QVODLIBETARIA
QVÆSTIO MEDICA
MATVTINIS EXCVTIENDA DISCEPTATIONIBVS IN SCHOLIS MEDICIS, DIE IOVIS X. FEBRVARII PRÆSIDE D. NICOLAO MARCHAND DOCTORE MEDICO. V. C.

An victus tenuis, catharsis, venæ sectio, ἐκτρωμοτικά?

Cviuslibet hominis constitutio, aut in medio est, aut in extrema vergit. Medium vnum, extrema duo, ὑπερβολῆς τε καὶ τῆς ἐλλείψεως. Singula pensitant qualitatibus, & substantiâ. Quæ qualitatum media constitutio est, nullo caloris, frigoris, humoris, siccitatis excessu insignis. Quæ substantiæ, nec gracilis nimis, nec habitior paullò, in medio est plenitudinis, τῆς τε κατὰ δύναμιν, καὶ τῆς κατ᾽ ἔγχυμα. Singularum partium idoneam sortita magnitudinem, numerum, situm, conformationem: & huius non ineptam figuram, meatum, asperitatem; nec non omnium inlæsam ἕνωσιν. Quæ secus est, haud caret vitio; eáque aut iam correpta morbo, aut certè ὑγιαίνων νοσερώτεροι. Ideò σύμμετρον illam conseruat Medicus. Hanc verò ἄμετρον toto studio dirigit in melius; cum addit quod deficit, demit quod nimis est, Διαιτητικῇ, Φαρμακευτικῇ, Χειρουργικῇ.

DIæta ægrorum est, sed sanorum maximè; nonnunquam & neutrorum. Sanos, & neutros conseruat, auget, minuit similibus, mediâ, maiori, minori foculorum copiâ. Alterat non rarò qualitates contrariis, iis exhibitis, quæ sunt alimenta φαρμακώδη, cuiusmodi cichorium, lactuca, acetosa: quarum siccæ humidis, calidis frigidæ pertinaciores multò, & calidorum tamen, quàm frigidorum, vsus tutior. Conseruat medios, σφριγώδεις auget, pugiles minuit. At si quis in morbo cubet, haud collapsis viribus, acuto tenuis, acutiori tenuior, extremè acuto tenuissima, maximéque vigentibus, præscribetur victus ratio; diuturno plenior. Sic & grauidæ, cui diæta tenuis & exquisita, ἐνδείᾳ τῆς τροφῆς, vtero fœtum excutit, vt eidem morbus acutus præripit animam. Ægris, & quos magna premit corruptorum humorum copia, Diætetica ars iners, nisi in subsidium veniat Pharmacia. At quibus Incorruptus sanguis est ἐν τῷ ἐσχάτῳ, his Chirurgia εὐεξίαν λύει μὴ βραδέως.

PHarmacia præparat priùs, postmodò purgat. Præparatio obstructa liberat attenuantibus, detergentibus. Attenuat crassa, tenui consistentiâ, temperie frigidâ, vt aceto; calidâ, vt pipere. Viscida deterget tenuatâ terrestri consistentiâ, cuius sapor amarus, temperies frigida, vt in cichorio; calida, vt in absynthio. Læuigat aspera exquisitè humidis, temperatè calidis, mediocris consistentiæ, vt muco seminis cydoniorum. Vacuantur noxia purgantibus, similitudine totius substantiæ, catharticis: iisque iniectis, admotis, assumptis. Iniiciuntur κλυστῆρες in aluum, aures, vterum. Admouentur vnguenta, emplastra, cataplasmata. Assumuntur, liquida, Syrupi, Zulapia, Potus: Solida, Opiatæ, Trochisci, Pilullæ. Liquida ventriculum afficiunt magis, Solida minùs. Solida, tardiora & imbecilliora, è capite magis trahunt: efficaciora, & cita magis, quæ liquida. Leuibus leuia, mediis media, extremis morbis extrema exquisitè remedia adhibenda. Ita tamen vt in leuibus & extremis, æqualis; mediocribus partita suscipiatur curatio. At grauidis, quibus ἀπὸ τεινεσμοῦ imminet, & ab alui profluuio, abortionis periculum, si turgeat materia, non nisi à quarto mense ad septimum, his minùs, purgationes exhibeas.

CHirurgia situm, figuram, vnionem naturalem restituit, Instauratrix; fasciis, laqueis, machinamentis, suturis. Fasciæ distorta & peruersa dirigunt, vulnera & vlcera hiantia contrahunt, fracta aptè conlocata continent, suppurantibus inflammationibus incommodæ. Laquei fracturas & luxationes distendunt, firmant: adstringunt dissecanda vasa. Machinamenta luxata restituunt, vt Ambe humerum, aut fracta, vt crus Glossocomum. Sutura disitas partes adductas iungit, cuius multiplex differentia, sed quæ pellionis dicitur, vt facillima, sic certè minimè tuta est. Detractrix, numerum, aut magnitudinem superfluam exscindit, aliena euellit, vt in ὑστεροτομοτοκίᾳ, fœtum, quæ quamuis periculosa, non est ab vsu medico explodenda. Huic inseruit sectio simplex, vt punctio in venâ, παρακέντησις in hydrope, lethalis, si ἀθρόως aqua effluxerit: cuius ferè generis perforatio à terebrâ, in oßibus cariosis, à modiolo, in fracturis craniј: multiplex, vt περιαίρεσις in absceßibus magnis, longis, liuidis: Scarificatio in cruribus, ad ciendos menses, in capite, πρὸς τὰς ἀλωπεκίας. Sic medicamẽtis ferrum, ferro ignis curationẽ adiutat. His, quæ resistunt vitia ἀνίατα πάντα.

OPerum χειρουργικῶν, quæ fit ab incisâ venâ sanguinis mißio, medicamentis tutior, plurimi vsus est, minimæ molestiæ; Si morbus persuadeat magnus, ísque præsens, aut futurus, nec vires deterreant. Quâuis horâ, quôuis tempore, at manè, & vere magis conueniens: Calidis, biliosis copiosa, melancholicis parcior, pituitosis, vt lethargicis, cautè & parcè adhibenda: Cacochymis ex viscerum vitio inutilis. Ab hac ὠφέλεια bona; Desipientia, conuulsio, singultus, mala. Hîc frugi Medicus non præsentes tantum vires intuetur, sed & futuras longè prospicit. Pueris, carne molli, & continuo fluxu euanidâ, πλῶτος αἵματος κένωσιν ταμιεύσθαι. Rarò pungit, pauca ducit. Eadem senum cura, diuersa ratio: ne frigidiusculis, cum calore & sanguine, anima elabatur. Sic & grauidis meritò abstineat manum: quibus incisa vena vires subtrahit, & fœtui deducit cibum. Ita vt, aut vtriúsque ab infirmitate abitio, aut ab inediâ alterius, maximéque grandioris, sequatur abortio.

Ergo victus tenuis, catharsis, venæ sectio, ἐκτρωμοτικά.

Assertor Franciscus Dissaudeau Castellerotianus, Picto. Anno Dom. CIↃ. IↃC.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Nicolaus Iabot.
M. Anthonius de Cappes Med. R.
M. Symon Pietre Prof. Reg.
M. Ioannes Duret Pr. & Med. R.
M. Georgius Cornuty.
M. Ioannes le Moyne.
M. Nicolaus Marchand Præses.
M. Franciscus du Port.
M. Guillielmus Lusson. Med. R.

